AD BIBL. UNIVERS. MONAC.



# PRAESIDE REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO SS. Theologiæ Doctore Ioanne Fabri ab Haylbrun, respondebit ad sequentes Positiones M. Michaël Dornfogel.

## Quæstio.

V. In euangelico statu, præter interiorem Dei cultum, sit etiam necessarius Sacramentorum à Christo institutorum usus: quibus non solum colatur Deus, sed per ea gratiam quoque suscipientibus conferat?

## Positio Prima.

Fidem, cui per charitatem bene operanti spes æternæ hæreditatis comes est, ut internum sic precipuum Dei cultum esse, & ad salutem in primis requiri, tenemus.

## Positio Secunda.

Placuit nihilominus Deo exterioribus quibusdam symbolis coli à fidelibus: ac per ea uicissim, uelut instrumenta multiplicem gratiam ipsis cultoribus elargiri.

## Positio Tertia.

Ea Christus Dominus potenter, sapienter & benigniter numero quidem paucissima, sed uirtute augustissima, septem duntaxat, quæ à Catholicis Sacramenta dicuntur, instituit, humanæque infirmitati medicamina reliquit.

## Positio Quarta.

Sacramentis dum tempus & ratio postulat non uti, tum irreligiosum, tum sæpè perniciosum arbitramur.

*M. Casparus Macer D. Michaeli Dornfogel S.*

*Tu qui diuinas didicisti strenuus arteis,*
*Vt doceas summi dogmata uera Dei.*
*Non frustra rigidos imitaris Martis alumnos,*
*Qui trucis ad pugnam tigridis instar eunt.*
*Languida ne turpi succumbant membra pudore,*
*Dum uultus Mauri, tristia bella, timent.*
*Nanque tuas semper uires quid ferre recusent,*
*Aut onus, exploras, quod tolerare queant.*
*Quid uerum, quid sit falsum scrutaris amicè,*
*Vt referunt huius nomina militiæ.*
*Sic sanctum Christi uerbum cognoscis, ouile*
*Quô pastor uera relligione colas.*

Ingolstadij. Anno M. D. LIII.

1553.